

Dissertatio inauguralis medica de differentia elateris, toni, contractionis vitalis, voluntariae, sensibilitatis et irritabilitatis / [Michael Brandt].

Contributors

Brandt, Michael, active 1754.
Krüger, Johann Gottlob, 1715-1759.
Universität Helmstedt.

Publication/Creation

Helmstadii : Paul. Dieter. Schnorr, [1754]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/dy bq8ecp>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

DIFFERENTIA ELATERIS,
TONI, CONTRACTIONIS
VITALIS, VOLUNTARIAE,
SENSIBILITATIS ET IRRITABILITATIS

QVAM

SVMMO NVMINE ANNVENTE

AC

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV
PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI ET EXPERIENTISSIMO

D. IO. GOTTLOB KRÜGERO

MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE PROFESSORE PVBL. ORDIN.
ACADEMIAE IMPERIALIS NATVRAE CVRIOSORVM
ET REGIAE BORVSSICAE SCIENTIARVM SODALI
FACVLTATIS MEDICAE H. T. DECANO

PATRONO ET PRAECEPTORE

AETATEM COLENDO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS
ATQVE IMMVNITATIBVS MORE MAIORVM

LEGITIME IMPETRANDIS

IN IVLEO MAIORI

DIE XIII. IVN. MDCCLIV.

H. C.

PVBLICE DEFENDET

A V C T O R

M I C H A E L B R A N D T

H A M B V R G E N S I S.

HELMSTADII

LITTERIS PAVL. DIETER. SCHNORR, ACAD. TYPOGR.

DISSERTATIO INVALENTIIS MEDICAE

D. D.

DIFFERENTIA ELATERIS
TONI CONTRACTIONIS
VITAE VOLUNTARIAE
SENSIBILITATIS IRRITABILITATIS

OPAM

AVVMIO INVIVITAE ANVIVITAE

AVVMIO INVIVITAE ANVIVITAE

AVVMIO INVIVITAE ANVIVITAE

AVVMIO INVIVITAE ANVIVITAE

AVVMIO INVIVITAE ANVIVITAE

AVVMIO INVIVITAE ANVIVITAE

AVVMIO INVIVITAE ANVIVITAE

AVVMIO INVIVITAE ANVIVITAE

AVVMIO INVIVITAE ANVIVITAE

AVVMIO INVIVITAE ANVIVITAE

AVVMIO INVIVITAE ANVIVITAE

AVVMIO INVIVITAE ANVIVITAE

AVVMIO INVIVITAE ANVIVITAE

AVVMIO INVIVITAE ANVIVITAE

AVVMIO INVIVITAE ANVIVITAE

AVVMIO INVIVITAE ANVIVITAE

AVVMIO INVIVITAE ANVIVITAE

AVVMIO INVIVITAE ANVIVITAE

AVVMIO INVIVITAE ANVIVITAE

AVVMIO INVIVITAE ANVIVITAE

AVVMIO INVIVITAE ANVIVITAE

V I R O
S V M M E V E N E R A B I L I
A M P L I S S I M O Q V E
D O M I N O
E R D M A N N O N E V M E I S T E R O

A P V D H A M B V R G E N S E S
P A S T O R I A D A E D E M D. I A C O B I
E T S C H O L A R C H A E

L O N G E M E R I T I S S I M O

A V O

O M N I P I E T A T I S C V L T V
P R O S E Q V E N D O

PRIMITIAS HASCE ACADEMICAS

EA QVA PAR EST

ANIMI SVBMISSIONE

DOMINO

D. D. D.

APVD HAMBVRGENSES

TASTORI AD AEDEM D. IACOBI

ET SCHOLARVM

LONGE MERITISSIMO


A V O

OBSEQUENTISSIMVS FILIVS

M I C H A E L B R A N D T.

VIR SUMME VENERABILIS

AVE INDVLGENTISSIME!

 ut TIBI omnino, aut nemini
prorsus, VIR SUMME VE-
NERANDE ATQVE MA-
XIMOPERE COLENDE!

hanc hoc academicae lucubrationis, et pri-
mum specimen, dicandum, putavi. Poterat

quidem temerarium quid dici, quod Nomen!

TVVM, VIR SVMME VENERABILIS hisce plagulis praeponere non dubitavi. At enim vero, aliter sentient omnes, causa cognita. Haec enim res, quum pietatis non solum veram speciem prae se fert, sed summa quoque meorum in TE officiorum testificatione tenetur, omni, si recte sentiam, caret vitio. Tantopere enim TE amo; et tantum TE veneror, quantum alium neminem; omnique TE honoris cultu, pietate, atque affectu prosequor. Praeter haec tot ac tanta sunt, a primis inde unguiculis, ad praesentia usque tempora, a TE profecta in me omnis generis beneficia, quanta umquam esse possunt. Talem enim TE semper mihi praebuisti, ac si germanus mihi Pater esses. Profecto haec omnia ita comparata sunt, ut vota me

NOI

non tam impleverint, quam superaverint, vice-
rintque plane expectationem, ita, ut neque vis
ingenii, neque magnitudo observantiae in iis-
dem praedicandis respondere possit. Et ea qui-
dem omnia enumerare, huius loci non est, ne-
que etiam possem, si vel maxime vellem,
quum deficerent me verba, in hac virium mea-
rum tenuitate. Haec tamen omnia a me postu-
lant animum gratum, TIBIQUE penitus devo-
tum. AVIDE itaque occasionem hanc, diu ex-
spectatam, TIBI illum declarandi, arripio.
Quae quum ita sint, non in peiorem, quae
VIA est humanitas, nunc capies partem, nec
merarium nominabis, VIR SUMME VENE-
ABILIS, ATQUE AVE INDVLGENTISSI-
S, quod primitias hasce academicas, licet
imma-

immaturas adhuc, TIBI offerre, atque dicare
non dubitavi. Immo vero id, scio, non fa-
cies. TVA enim in me insignia beneficia, uni-
ce ex benevolentia TVA, quae longe maximae
est, prodierunt. Quocirca, ut devinctus TIBI
sim, TEQUE colam tamquam optimum paren-
tem, summa a me postulat aequitas, pietas, in-
stitia. Quod reliquum est, summum Numen
precibus meis perpetuo defatigabo, ut TE,
nem venerabilem, fortunae meae statorem
ecclesiae ornamentum salvum atque incolumem
diutissime sustentet. Hisce omnibus adiun-
ciam petitionem, ut me ulteriori TVO favo-
re ac benevolentiae quam maxime habeas com-
mendatissimum. Ita Deus TE servet!



§. I.



conceptus rerum determinatos, seu quod idem est, accuratas formare definitiones, summe necessarium esse, si in scientiis ulterius progredi, logomachias evitare, et de veritate convinci cupimus, neminem existimo, fore, qui dubitet. Discimus namque mathematicorum exemplo, quanti momenti, quantaeque utilitatis sint distinctae in scientiis notiones. Unde enim illa claritas, unde illa certitudo, qua quanti-

tatis scientia splendore quasi suo effulget, et inter reliquas caput effert, ut inter viburna cupressus? Per-spexerunt hoc dudum oculati in scientiis viri, et factum inde est, ut non solum B. WOLFFIUS distinctis notionibus universam philosophiam illustraret, sed imitatores etiam haberet Theologos et Ictos celeberrimos, qui omni studio eo allaborarunt, ut dispulsis tenebris clariorem lucem affundant nobilissimis scientiis. Non defuerunt quidem, qui idem in arte salutari tentarent, et quorum conatus eo magis laudem mereri existimamus, quo certius est in medicina de vita hominum agi. Sed an fine suo potiti fuerint, an omnem notionum ambiguitatem evitaverint, et machaonicam artem ad mathematicae certitudinis apicem evexerint, de eo ego quidem valde dubito. Substituerunt namque plerumque in limine, et magis philosophicas, quas medicina supponit explicavere notiones, quam illas, quae nostrae arti quasi propriae et solemnes sunt, et in ontologia medica versantur, a salutaris artis sacris et intimioribus penetralibus nimis remota. Quid quod multi illorum methodi mathematicae praestantiam agnoscentes ipsius methodi adeo ignari fuerunt, ut descriptiones vagas pro definitionibus, ac vanissimas hypotheses pro demonstrationibus omnibus numeris absolutis habuerint, sibi-que et aliis hac ratione imposuerint. Num igitur ego omnium audacissimus tantorum in arte virorum lapsus emendare, errores corrigere et medicinam geometrice demonstrare in me suscipio? Minime gentium. Novi gravitatem huius facinoris; novi virium

mearum tenuitatem. Sed in magnis et voluisse factum est. Cum igitur cognoverim, summam necessitatem requirere, ut in medicina fixus sit terminorum significatus, et quod frustra quaeratur certitudo, neglecta notionum determinatione, operae me pretium facturum existimavi, si quasdam notiones, quae magni in medicina usus sunt, et in detrimentum artis a quibusdam mirifice confunduntur, accuratius determinarem et finibus quamque suis circumscriberem. Exhibebo igitur et quantum fieri poterit explicabo sensibilitatis, toni, elateris, contractionis vitalis, voluntariae et irritabilitatis notiones. Animum inspirat proverbium:

Si desint vires, tamen est laudanda voluntas.

§. II.

Corpora huius universi omnia et continuis motibus agitari, et exserere locum mutandi conatum, a Phisicis dudum demonstratum supponimus. Concluserunt inde, corpus nullum dari, quod non vi sua gaudeat, illamque illud esse praecipuum, in quo a nudo spatio differt et distinguitur. Animadverterunt porro has vires non unius eiusdemque indolis esse, sed diversitatem quandam in illis deprehendi, ob quam diversa ipsis imposuerunt nomina. Sic vim, qua corpus motui resistit, vocarunt vim inertiae; illam, qua efficit, ut patiens ab agente recedere conetur, vim pulsionis, cuius effectus ictus sunt et pressio; illam vero, qua unum in altero conatum excitat ad se accedendi, vim attractionis, quas deinde iterum in suas species

dispescunt, quo pertinent gravitas, elater et actio-
 num genera, ab his viribus pendentia. Quae quum
 ita sint, corpus quoque humanum sive mortuum sit
 sive vivum viribus instructum esse nullo pacto negari
 poterit. Nonne in mortuo corpore animadvertimus
 gravitatem; in membranis et ipsis ossibus elasticita-
 tem; dum sanguis coagulatur attractionis, et dum a
 putredine in vaporem elasticum convertitur repulsi-
 nis manifesta documenta? Quasdam harum virium
 in corpore quoque vivo deprehendi quilibet vel me
 non monente perspicit. Sed fatebitur etiam vires
 adesse in vivo, quae non offenduntur in mortuo cor-
 pore. Vnde enim illa in vivo animali ad obiecta sen-
 sibilitas, fibrarum tensio, contractio et infiniti tam
 solidorum, quam fluidorum motus? Diversa his viri-
 bus Medici, Physicos imitati, imposuerunt nomina, a
 nobis nunc paulo accuratius consideranda, et ut or-
 dine procedamus, initium faciemus ab illis, quae
 corpori vivo cum cadavere communes existunt. Pos-
 semus huc referre gravitatem, attractionem qua
 particulae cohaerent, ac vim inertiae; sed cum haec o-
 mnibus fere, quae novimus, corporibus communia sint,
 ne falcem in alienam messem mittamus, Physicis haec
 relinquimus, illas tantummodo vires consideraturi,
 quae humano corpori cum quibusdam corporibus
 communes, et deinde, quae ipsi sunt propriae. Re-
 ferimus huc merito elasticitatem. Videamus igitur,
 quid per illam intelligant Physici.

§. III.

Corpora ab ictu aut mutant figuram, aut non. Si non mutant, dura; si mutant, mollia vocantur. Molle corpus mutata figura, propria vi in pristinam figuram aut se restituit, aut non. Corpus, quod mutata figura propria vi se in pristinam restituit, elasticum dicitur. Frustra quaesiverunt multi Physicorum huius elasticae virtutis originem in nescio quo aetheris in poros influxu; sed quibus difficultatibus haec prematur hypothesis, ostendit Illustris PRAESES in *prima physices parte* §. 237., et recte hanc corporum proprietatem explicat ex vi illa, qua particulae corporum se mutuo attrahunt. Quod si enim corpus talem structuram nactum est, talemque particularum figuram, ut elongari possit, et tamen maneat particularum contactus, cessante vi extendente particulae ob attractionem mutuam recedunt in pristinum locum, et elongatum corpus brevius red- ditur. Valere hoc de partibus solidis humani corpo- ris experientia teste convincimur, qua edocemur os- sa non solum exhibere phaenomena corporum per- fecte elasticorum, sed reliquas etiam fibras extendi posse, et cessante extensione se iterum contrahere. Quamvis itaque exinde concludendum sit, fibras in univrsum omnes humani corporis elasticas esse, ma- gna tamen datur inter illas ratione gradus elasticitatis differentia. Corpus namque eo magis elasticum est, quo maiori vi mutata figura se in pristinam restituit. Animadvertimus autem fibras humani corporis eo

magis esse elasticas, quo sunt duriores. Summam igitur elasticitatem possident fibrae osseae, minorem cartilagineae, musculares, membranaceae, et vix sensibilem medullares cerebri et cerebelli. Quanta sit fibrarum muscularium elasticitas, ponderibus appensis exploravit IOH. ALPHONS. BORELLVS, qui frustraneo conatu annisus est, vitalem illarum contractionem exinde determinare. Quanta sit cutis elasticitas, gravidae nos edocere poterunt et hydrope ascite laborantes. Illae enim foetu, et hi aquis extractis immaniter expansum abdomen in minus volumen se contrahere laeti animadvertunt. Non negabo quidem, conferre quoque ad hanc contractionem suum symbolum, tonum illum vitalem, de quo postea nobis agendum erit, sed quod multum quoque sibi vindicet fibrarum elasticitas, experimentis in cadaveribus institutis evincitur.

§. IV.

Suppeditatam in antecedenti paragrapho elasticitatis notionem si consideras videbis, quam praeclare fallantur, qui vitam hominum ab elasticitate fibrarum pendere somniant sibi que et aliis persuadent. Facillimum est erroris causam detegere. Vita pendet a contractione cordis, dilatationem eius excipiente. Iam vero contractio dilatationem excipiens vocatur elasticitas. Nonne igitur motus cordis et ipsa vita pendet ab elasticitate? Sed respondemus sic limitando maiorem huius ratiocinii propositionem

Con

Contractio, quae dilatationem excipit, et non maiorem vim requirit, quam ipsa dilatatio, illa est effectus elateris. Admissa hac limitatione, quae propter ipsam elasticitatis notionem et legem naturae, quae reactio actioni aequalis statuitur, necessario admittenda est, admissa hac inquam limitatione, demonstranda erit minor propositio, quod nimirum cor non maiori vi contrahatur, quam illa fuit, qua extensum erat. Quis vero hoc affirmaret? Quanta enim quaeso vi cor in systole constitutum digitum immissum comprimit, et quam levi conatu expandi potest? Proportionatam quidem vim, qua cor contrahitur, illi, qua dilatatur, statuimus, sed minime aequalem. Proportionatam enim esse, nemo negabit, qui admittit naturae legem, quod sensationem excipiat notus sensationi proportionatus. Notatu tamen dignum phaenomenon respiratio suppeditat, ex quo elateris in corpore humano cognoscimus utilitatem. Attolluntur enim a musculis intercostalibus sub inspiratione costae, et amplior redditur thoracis cavitas. Remittente hac musculorum actione, efficit costarum artilaginumque elasticitas sub expiratione restitutionem. Si praeterea cogitamus, quantis motibus gitari et quoties extendi debeat a diversis externis causis corpus humanum, exinde quoque elasticitatis utilitatem pariter ac necessitatem diiudicare possumus. Accedit, quod ossa eo maiorem tensionem admittant, quo sunt molliora, quam proprietatem, cum in infantibus possideant, ratio reddi potest, cur frequentes infantum lapsus rarius ossium fracturam comi-

comitem habeant, quod pro insigni Creatoris beneficio reputandum esse, merito iudicamus.

§. V.

Miseri mortales si corpus nacti essemus praeter elasticitatem nullis movendi viribus instructum. Potius statuae tunc dicendi essemus, quam homines. Sed accepimus, quod Dei est donum, corpus viribus instructum, quibus vivimus, quibus percipimus, quibus exsequitur, quod imperamus. Noli in rimanda corporis structura tempus frustra terere, horum motuum originem detecturus. Nihil crede mihi in illa deprehendes, ex quo haec naturae miracula explicare poteris. Divina potius haec animalium praestantia in eius sensibilitate quaerenda erit. Sentimus namque, si praesentia nobis repraesentamus, sive haec repraesentatio clara, sive obscura sit, sive extra nos, sive intra nos praesentia nobis repraesentemus. Sensationem talem, sive externam, sive internam sapienti Conditoris lege excipit motus ipsi proportionatus, quod pluribus demonstrare et experimentis confirmare spatii temporis et instituti nostri ratio non permittit. Legat, qui rationes desiderat Ill. PRAESIDIS physiolog. et D. de Chauffepié dissertationem de lege Naturae, quod sensationem excipiat motus sensationi proportionatus. Praesupposita haec naturae lege, nihil facilius erit, quam veram et genuinam toni vitalis notionem evolvere. Corpus enim humanum, cum et in externa et interna superf

cie nervis instructum, adeoque sensile sit, non potest non ab aëre aliisque corporibus, et ab ipso sanguine, reliquisque fluidis per vasa fluentibus, continuo affici, hanc autem sensationem necessario sequitur visus fibrarum se contrahendi ab elasticitate diversus, atque hic ipse est, quem toni nomine insigniverunt artis salutaris periti. Ex hac toni notione duo fluunt corollaria 1) quod tonus proportionatus sit corporis sensibilitati et 2) quod proportionatus sit actioni in partes sensiles, quod mathematicorum lingua exprimimus; Tonus est in ratione composita sensibilitatis corporis animalis et actionis in partes sensiles. Fac igitur sensibilitatem corporis modum excedere, tonus quoque praeternaturaliter augebitur, quale praeternaturale toni augmentum spasmus vocamus. Experientia haec rite confirmat, qua edocemur, cholericos homines et sensibilioris texturae longe magis ad spasticas commotiones inclinare, quam phlegmaticos, et tales, in quibus hebetior est illa sentiendi facultas. Idem valet de altero illo, quod adduximus, corollario, quod tonus nempe proportionatus sit corporum in partes sensiles actioni. Placet hoc exemplis quibusdam illustrare. Aer corpus nostrum ambiens non potest non et pondere suo et frigore corpus nostrum afficere. Vtrumque efficit determinatam fibrarum cutis constrictionem et per consequens tonum. Ponamus nunc aerem reddi gravio- rem: comprimet fortius cutem nostram, augebitur tonus, et inde fieri existimamus, quod aere graviori facto alacriora reddantur hominum corpora. Po-
B
namus.

namus porro frigus aeris increfcere: crefcet tonus fibrarum et totum corpus minus reddetur, quod docent veftimenta et chirothecae, fi frigido et deinde calido corpori applicantur. Obiicis frigus omnia corpora condenfare: largimur hoc tibi ambabus; fed negamus fibrarum fub frigido coelo contractionem a fola pendere, quam frigus in aliis corporibus efficit condensatione exclufo vitali tono. Quod denique praeternaturalis in partes fenfiles corporis humani actio praeternaturalem in iisdem conftriktionem et ideo fpafmum efficere valeat, infinito convincimur exemplorum numero. Ex quibus pauca adduxiffe fufficiat. Frigus nimium fpafmos inducit et febres excitat fpafmorum indubios testes. Venenum, emeticum, purgans, ventriculo et inteftinis, ac acre quodcunque fanguini et humoribus inhaerens, alique ex quacunque caufa orti dolores fpafmos procreare valent, quorum exemplorum tanta exftat copia, ut illis delufi quidam medici omnes fpafmos ab acrimonia quadam derivandos effe fibi perfuaserint, non cogitantes unius effectus plures poffe effe caufas et fola animi pathemata vehementiora absque ulla acrimonia in faniffimo homine fpafmos excitare poffe vehementiffimos. Nollem enim exiftimares me tonum tonique augmentum folis externis adfcribere fenfationibus. Habent et internae in tonum fuum ius atque potentiam, mutaturque tonus pro affectuum diuerfitate, et cum praeterea actio corporum in partes fenfiles continuo variet, confequens eft ut tonus quoque non diu poffit idem perfiftere. Maxima eius
aequa-

aequabilitas sine dubio tempore somni deprehenditur.

§. VI.

Tonus cum pendeat a sensatione tam externa quam interna, et sensatio talis esse nequeat absque fluidi nervei in nervis praesentia, consequens est, ut deficiente huius fluidi in aliqua parte influxu tonus quoque partis deficere debeat, sicuti e contrario augebitur fluido nerveo maiori quantitate influente. Ex quibus omnibus tandem conficimus, tonum esse conatum fibrarum se contrahendi pendentem a sensatione, et sensatio cum in cadavere nulla sit tonus tantummodo in vivis corporibus obtinet, et hinc recte vocatur tonus vitalis quo nomine iam usus est AETIVS antiquissimus auctor. Febris enim causam dicit esse τὸν ζωτικὸν τόνον.

§. VII.

Tonus est genericum nomen, quod sub se complectitur tonum stricte sic dictum, contractionem vitalem et voluntariam. Tonus stricte sic dictus nimirum est nudus fibrarum se constringendi conatus ab ipsarum sensibilitate dependens, et differt in eo a vitali constrictione, quae non nudum conatum, sed veram et actualem constrictionem motumque requirit. Exempla talis constrictionis vitalis deprehendimus in motu omnium muscutorum sive voluntatis imperio subiecti sint sive non. Pertinet igitur huc motus cordis et arteriarum in quantum fibras musculares possident, a tendineis enim vitalis contractio expectan-

da non est, quamvis ex elasticitate se restituant. Originem vitalis contractionis si quaerimus, eandem deprehendemus eius causam, quae erat toni vitalis, sed maiorem fortiolemque, et talem quae aequilibrium unius partis cum alia auferre valet; nullus enim unquam absque sublato aequilibrio in rerum natura motus, sed conatus tantummodo ad motum producendum oritur. Dependet igitur vitalis quoque contractio a sensatione quadam vel externa vel interna. Ab externa sensatione productae vitalis contractionis exemplum exhibent motus cordis, arteriarum et musculorum omnium si irritantur, hoc est, si continguntur ab aliquo corpore sensationem in ipsis excitante. Posterioris exemplum habemus in illis fibrarum motibus, qui a fortiori imaginatione vel affectu vehementiori producti fuerunt.

§. VIII.

Dixi tonum, et contractionem vitalem pendere a sensatione. Non ergo pendent a voluntate animae, sed eadem necessitate consequuntur, qua sensationes. Datur tamen contractionis vitalis aliqua species, quae voluntati nostrae subiicitur, et nomen inde nata est motus voluntarii. Pertinent huc motus omnes, quos corpus nostrum ad imperium nutumque quasi animae exsequitur, quorum exempla adducere superfluum omnino iudicamus. Factum inde est ut medici, musculares motus dividerent in voluntarios et involuntarios. Sed addiderunt adhuc tertiam classem, motuum
nem-

nempe mixtorum, per quos intelligunt tales qui ex parte a voluntate, ex parte vero a physica aliqua necessitate pendent. Induxit illos ad hoc statuendum respirationis negotium. Animadvertentes enim sistere nos posse respirationis actum pro lubitu, inque nostra potestate positum esse eandem accelerare ac retardare, non potuerunt non exinde concludere, illam in tantum pendere a voluntatis imperio, sed conspicientes respirationis actum etiam nobis non cogitantibus, quid quod dormientibus exerceri, machinae tunc effectum dixerunt, exclusa omni animali facultate. Hinc voluntariam respirationem, si moderate procedit neque nimis profunda est, adscripserunt musculorum intercostalium actioni, involuntariam vero motui diaphragmatis, quoniam in placide dormientibus nulla observaretur thoracis, ut in vigilantibus, elevatio. Sed forte non satis attenti consideraverunt optimi viri dormientis thoracem, in quo imposita manu manifestam conspiciamus costarum elevationem, et nisi diaphragma eadem ratione, qua musculi intercostales voluntatis imperio subiectum esset motusque suos aequabiliter semper continuaret, impossibile nobis foret respirationem sistere et accelerare. Ex nostra quidem sententia totum respirationis negotium pertinet ad actiones voluntarias, sed ad illas, quae ob acquisitum crebris exercitiis habitum nobis non cogitantibus peraguntur. Dari vero eiusmodi actiones, quae initio voluntariae fuerunt, et non nisi nobis volentibus et cogitantibus successerunt, deinde vero acquisito habitu nescientibus nobis contingunt, do-

cent absurdi gestus ac verba nonnullis hominibus ob contractum consuetudine habitum familiaria. Certum praeterea est molestam illam sensationem, quam sanguis excitat, si per pulmones difficulter transferatur causam esse, quae nos ad respirationem exercendam impellit. Nullos igitur motus mixtos statuimus. Sed ex nostra sententia motus omnes sunt vel voluntarii vel involuntarii. Involuntarii vel pendent a sensatione vel non. A sensatione pendet omnis contractio vitalis non voluntaria, quo pertinet motus cordis arteriarum musculorum irritatorum et tonus fibrarum. Qui vero plane non pendent a sensatione sunt solius machinae effectus, et tales actiones possent, stricte loquendo vocari mechanicae. Referimus ad illas imprimis si solida spectas elaterem fibrarum.

§. IX.

Eadem difficultate premitur quaestio, quomodo motus voluntatis ad nutum animae consequantur, qua laborat illa, cur sensationem nobis nolentibus excipiat motus et contractio vitalis. Vix aliud quid ad haec respondere licet, quam ut cum Ovidio exclamemus :

Est Deus in nobis agitante calescimus illo.

Hoc vero nisi certum valde tamen probabile est, fluidi nervei influxum in fibras ad motus tam voluntarios quam involuntarios peragendos requiri, atque hinc fieri ut hoc aethereo fluido deficiente vel eius in
fibras

fibras influxu prohibito uterque motus deficiat. Cerebri compressio, nervorum ligatura et discissio corporisque a laboribus lassitudo haec optime confirmare videntur. Vnde vero fluido nerveo tanta vis, quae in musculis, quibus voluntarii motus exercentur par est tantis elevandis ponderibus, quaeque ipsis ponderibus elevandis ex vectis theoria et obliqua musculorum applicatione multo maior statuenda est? Est hoc το θεϊον motuum muscularium. Hoc certum est ceteris paribus, vires musculorum esse in ratione numeri fibrarum, qui in diversis hominibus diversissimus est, et unde intelligitur, cur carnosiores homines, si ita dicere fas, est reliquis sint robustiores.

§. X.

Nova nunc patet inter contractionem vitalem et tonum differentia. Tonus nempe cum in continuo nisu consistat ad se contrahendum, continuum quoque nec interruptum sed aequabilem requirit fluidi nervei influxum. Contractio vero vitalis, quae est toni augmentum sensibile, maiorem quoque eius fluidi quantitatem vel celeritatem postulare videtur.

§. XI.

Manet etiam sensationi in musculos voluntatis imperio subiectos ut in reliquos omnes sua potentia et fieri inde potest, ut musculus talis nobis invitis et nolentibus contrahatur. Sicuti enim animae in ipsas
ser.

sensationes nulla potestas sic etiam motus, qui sunt
 sensationis effectus impedire nequit. Praeternatura-
 lis talis constrictio merito dicitur et ideo spasmi no-
 men meretur. Qui si ita comparatus est, ut illum
 statim excipiat relaxatio et nova constrictio, convul-
 sionis nomine insignitur. Possunt igitur musculi tam
 voluntariis, quam involuntariis motibus inservientes
 spasms tentari et convulsionibus. Sunt hae convul-
 siones quando voluntarios motus afficiunt, vitalibus
 rite succedentibus vel etiam debilitatis, oppositum fe-
 bris. Sicuti enim in febre aucta est vitalium ad mo-
 tus voluntarios ratio, sic in hoc casu auctam depre-
 hendimus voluntariorum motuum ad vitales ratio-
 nem. Vnde intelligitur practicae illius veritatis fun-
 damentum, quod febris convulsionibus superveniens
 salutaris sit. Conferat HIPPOCRAT. *aphorif. Sect. IV.*
aphorif. LVII. Adeoque necessarium est ad sanitatis
 conservationem, ut quaedam inter motus vitales et
 voluntarios maneat harmonia et constans ratio.

§. XII.

Medici cum observarent corpus humanum ma-
 chinam esse artificiosissime constructam, recte exinde
 concluderunt, mechanices et hydraulices principia
 ad corpus humanum applicari debere. Laudabilis
 conatus, felici successa carere non poterat, et fa-
 ctum inde est, ut extincta anili flammula vitali, et
 inani calore innato ad sanguinis circulationem oculos
 dirigerent, naturalem in illa phaenomenorum expli-
 catio-

cationem quaerentes. Quoniam vero non attendebant ad necessariam illam machinae naturalis ab artificiosa differentiam, factum est, ut ignorata corporis animalis lege ex nescio quo alternante fluidi nervei influxu explicare conati sint, tantum non omnes, qui in machina nostra contingere solent motus. Perpetuum mobile non alibi reperiendum, perpetuum mobile quod adeo exercet mathematicorum ingenium facillimo labore detexerunt in corde animalium. Totum corpus humanum ita constructum esse sibi imaginati sunt, ut ultimus motuum effectus primam illorum causam reproduceret. Diu perstiterunt in hoc errore, non cogitantes mechanicam hanc explicandi rationem ipsam mechanicam evertere. Cor moveri dixerunt a fluidi nervei influxu, et fluidum nerveum motum accipere a corde, negligentes insignem illam, quam cor et sanguis in circulatione experitur resistantiam. Quid quod eo abierunt an dicam audaciae an hypotheseos amore, ut resistantiam motuum statuerint originem. Quaeris cur cor in febre inflammatoria vehementius contrahatur? Respondent ob resistantiam ipsi factam maiorem. Sic resistantia, quae celeritatem imminuit ipsis sufficere videbatur ad illam augendam. Non poterant certe haec diutius persistere. Physices enim ac mathematicum periti non poterant non errorem detegere. Sed mali remedium in vocabulo sibi invenisse visi sunt praeclari in arte viri. Dixerunt enim fibras humani corporis quasdam talem possidere proprietatem, ut ad contactum alius corporis se contrahant, illamque vocarunt irritabili-

C

bili-

bilitatem. Hoc sensu si accipere placet irritabilitatis nomen, nil nisi phaenomenon significat, quod negari et in dubium vocari, quippe infinitis experimentis confirmatum, a nemine potest. Sed felix qui rerum potuit cognoscere causas. Quenam igitur erit huius irritabilitatis ratio? Nos sensibilitatem esse diximus, neque id sine ratione. Non enim deprehenditur in partibus omnifensu carentibus ut ossibus, crinibus, unguibus et cuticula irritabilitas. A doloribus augetur. Quid vero sunt dolores, nisi ad molestiam usque auctae sensationes? Pedibus igitur iremus in illorum sententiam, qui fibras quasdam humani corporis irritabilitate donatas esse statuunt, nisi adicerent hanc fibrarum irritabilitatem sensibilitatem nullam supponere, quae assertio efficit, ut irritabilitas obscurae qualitatis ignobile nomen vix effugiat. Cum enim inter communes corporum vires referri nequeat, sed sit animali corpori si vegetabilia quaedam excipias, quasi propria et inquilina, ut a virium universalium quadam originem habeat necesse est. Non invenies hanc originem in vi quadam pellente, attrahente, premente vel alia quacunque, sed in illa quae fibris irritabilibus communis est, et per quam a reliquis distinguntur, quae est facultas sentiendi. Sed inquis fibrae irritabilitate gaudent a vivo corpore separatae. Cor ranae excisum pulsatur et irritatum fortius pulsare incipit. Si igitur irritabilitas sensationi adscribenda esset, et sensatio omnis sine dubio pendet ab anima, quomodo cor excisum ranae pulsare, et anguilla in partes dissecta movere poterit si irritatur? Satisfaciam nimiae curio-

fitati, si prius ostenderis, quomodo partes a corpore non separatae sentire possint. In non separato musculo si irritatur sensatio est causa contractionis. Separatus musculus eodem modo irritatus eadem ratione contrahitur, cur igitur aliam adducere debeamus contractionis causam equidem non video. Fac periculum an ex fluidi nervei motu ab acus cuspide excitato tantum effectum explicare valeas. Sed valde vereor, ne effectum deprehendas maiorem sua causa. Provocas ad animae indivisibilitatem, sed scias nos effectus animae videre ignorata causa, animamque nil magis ignorare quam se ipsam. Non enim philosophorum hypotheses, sed observationes ac accurata ratiocinandi methodus medicinam perficit, atque his fundamentis freti sensibilitatem pro irritabilitatis causa et elatere quasi machinae animalis agnoscere nulli dubitamus. Apparet igitur sole meridiano clarius differentia inter nostrum et recens illud irritabilitatis systema. Illi enim irritabilitatem peculiarem quandam et non explicabilem quarundam fibrarum proprietatem esse statuunt, cuius causam nos existimamus solam esse sensationem. Multae sunt scio, quae sententiam nostram premere videntur difficultates. Cor sani hominis irritatum a sanguine contrahitur, qui nihilo minus nihil plane percipit de sanguinis in cor actione. Irritatur a fluidis contentis ventriculus et intestina, contrahuntur, quamvis nihil plane percipiat ab hac actione si sanus est homo. Verum enim vero quam speciosa haec sit obiectio, novimus tamen nos non omnia, quae percipimus clare sed ob-

scire percipere, et obscurus sensus est etiam sensus. Cuius obscuritatis ratio detectu est facillima. Latet enim in consuetudine. Legem namque psychologiae merito vocamus, consuetam perceptionem non concomitari conscientia. Qui in molendinis continuo versantur, non percipiunt insignem strepitum, quis vero negaret aerem tremulum aurem ingredi et nervum acusticum afficere? Dantur ergo quod vel hoc unico exemplo comprobatur sensationes, quarum non conscii sumus, et hoc satis sufficit ad evitandam illam contra nostram thesin obiectionem. Assuescimus enim sensationibus frequenter obvenientibus et quae quaequo frequentius nobis obveniunt, illis quas fluida in solidis corporis nostri partibus efficiunt?

§. XIII.

Haec sunt quae de differentia elateris, toni, contractionis vitalis, voluntariae, sensibilitatis et irritabilitatis monere voluimus. Nulla ni totus fallor nunc in his notionibus distinguendis, impedimento erit obscuritas, postquam nostram mentem ut nobis quidem videtur satis distincte hac de materia explicuimus. Ne vero quis sibi persuadeat, inanibus nos delectari speculationibus, nullam in arte eiusque exercitio usum habituris, paucis adhuc ostendam harum definitionum in ipsam medendi artem influxum. Faciamus initium ab elasticitate fibrarum. Fibra corporis humani eo magis elastica est, quo est durior. Quo enim durior est, eo fortius elementa eius cohaerent,

rent, quo magis elementa cohaerent eo fortius se invicem attrahunt, cum attractio sit cohaesionis causa; quo fortius autem elementa se attrahunt, eo maiori vi, si distenditur fibra, redeunt in pristinum locum; quo maiori vi fibra extensa se restituit, eo maior est eius elasticitas, ergo elasticitas fibrae eo maior est, quo durior est fibra. Hinc physici ad instituenda cum corporibus perfecte elasticis experimenta eligunt ossa partes corporis animalis durissimas. Quemadmodum igitur in corpore humano si sanum esse debet, determinata semper requiritur resistentiarum ad motus proportio, sic manifestum est, quod fibrarum elasticitas neque deficere, neque modum excedere debeat. Si nimis parva est, a motibus in corpore contingentibus fibra nimium elongatur; si nimia, sufficienter elongari non potest: est ergo primo in casu laxa vel debilis, et in ultimo rigida. Medici est utrumque vitium emendare. Quod ut fieri possit, sciat necesse est terrestres illas particulas, quas fibrarum elementa vocamus, cohaerere mediante glutine, quod quo maiori quantitate praesens est, eo maiorem efficit, et quo minori adest quantitate, eo minorem producit elementorum cohaesionem. Haec considerans fibris minus elasticis et debilibus laboranti commendabit motum, quo dissipantur fluidiora, applicabit, si quidem necessitas id postularet, corpori adstringentia et spirituosa, quibus elementa propius ad se invicem accedunt, et maior fit glutinis intermedii tenacitas. Fibris vero existentibus nimium elasticis faciet contrarium. Diluet humores aquoso potu et emolliente,

ac balnea commendabit ex aqua dulci fibras emolientes, nimiamque corrigentes illarum rigiditatem. Est nimia fibrarum rigiditas et elasticitas, morbus a senectate vix separabilis, et si medicis credimus, ipsam senectutis naturam efficiens. Nescio igitur cur methodum antiquam non imitentur recentiores, et senibus balnea tepida commendent, atque ut oleis fibras relaxantibus corpus illinent praecipiant. Nos quidem nobis persuademus, si ullum daretur ad longaevitatem remedium hoc in balneorum moderate calidorum usu quaerendum esse, praecipue si aquae commisceatur lac vaccinum recenter e mammis expressum et adhuc calidum. Non vanum enim est augurium fore ut nerveum fluidum in calido lacte adhuc contentum per poros resorbentes in corpus senis absorbeatur, atque hac ratione vires restituat languenti corpori. Hoc certum est si longaevum reddere cupis senem; vires ipsi suppedites, emollias fibras et minorum vasorum obstructionem impediatis. Si non ultimae, duabus tamen prioribus indicationibus respondent balnea ex lacte recenti. Utebantur quidem Romani balneis, sed aut frigidis aut si calida erant, solebant illa cum frigidis commutare. Sola enim calida balnea sano iuveni ego non suaserim.

§. XIV.

Si verum est quod tonus, vitalis contractio, et voluntaria pendeat a sensatione vel externa vel interna, supposita nempe structurae integritate, consequens

quens est, ut necessarias has ad vitam actiones conservaturus eo imprimis omnem aciem mentis intendere debeat, ut integrum maneat sensuum tam exteriorum quam interiorum exercitium. Quod igitur ad tonum attinet, ille vel remissior est vel nimium auctus. Priori in casu oportet medicum fibras sensibiliores reddere. Duplici ratione hoc efficere poterit. Ex physiologicis enim constat sensationem pendere a nervi tensione et actione in nervum. Primum non ita est in potestate medici ut ultimum. Quare in loco atonia laborante studebit irritationes producere maiorem fibrarum tensionem efficientes. Laborat ventriculus atonia, non digerit ingesta, ob laxitatem a flatibus distenditur: quid facit medicus? Exhibet salia media, radicem ari, aromata, carminativa, spirituosa, salia volatilia, ut excitent languentem ventriculum, admoneantque sui officii. Laborat atonia, pars quaedam externa. Pes nimium relaxatus oedematofus evadit, commendat medicus frictiones, non solum ut stagnans ob atoniam serum propellat, sed quod primarium est ut tonum restituat, quo restituto sponte quasi evanescit oedematofus tumor. Conqueritur aegrotus de nimia lassitudine et ad somnum propensione. Inquirat medicus an haec sint morbi alius praesentis symptomata, nihil deprehendit, commendat aegroto corporis motum, sequitur consilium, fit maior fluidi nervei in fibras influxus, crescit robur et evanescit cum atonia lassitudo. Probe enim novit pendere musculi robur a crebro eius exercitio. Pulmones muco obruantur,
laxac

laxae fibrae non valent contractione sua illum expellere, asthma oritur, periclitatur vita aegroti. Vocatus medicus exhibet sulphur antimonii auratum, subsequitur vomitus primam dosin, quo expellitur infesti mucii aliqua quantitas, alteram dosin excipit alvina excretio, tertiam sudor, atque sic restituto tono mirum non est, quod quarta effectum anodynum exserat, non quod existimem sulphur auratum inter anodyna medicamenta referendum esse, sed anodynum dicimus quoniam molestiae causas e medio sustulit. Plura de his qui desiderat, legat *Cel. VNZERI et HOPPII de hac materia controversiam in dem Hamburg. Magazin.*

§. XV.

Tonus nimium auctus quem spasmus appellamus postulare videtur, ut et eius et convulsionum ex nostra theoria curationem exponamus, quod haud difficulter fieri posse credimus, si causam consideramus, quae spasmos et convulsiones producere valet, quae ex nostra sententia est vehementior sensatio vel externa vel interna. Prior pendet vel a nimia nervorum tensione, vel a vehemente actione in eosdem, unde concludimus quod spasmus curaturus debeat vel fibras relaxare, vel illud auferre quod nervos irritaverat. Si pendet a sola quadam sensatione: nerveas fibrillas nihil magis relaxat, quam calor et humiditas. Videmus igitur rationem cur homines spasmis vexati calore corpus foveant vel

vel ad balnea calida confugiant. Sed palliativa tantummodo foret haec curatio, si a causa quadam nervaeas fibrillas irritante spasmus ortum duxerit vel convulsio. Inquirenda igitur medico erit tali in casu, latens illud in corpore praeternaturale irritationem efficiens, illudque ut removeat, quantum fieri potest operam dabit. Interrogabit igitur quonam in loco dolores percipiat aeger? atque in causam illorum inquiret. Quod exemplis quibusdam illustrabimus. Convellitur aeger et spasmis vexatur, conqueritur de ventriculi dolore; suspicio est assumpti veneni: exhibemus pingua, acre venenum involventia, sequitur vomitus, expellitur noxium, evanescit dolor, silent convulsiones. In alio adsunt vermium indicia: propinamus mercurialia, enecantur vermes ventriculum arrodentes, cessant convulsiones.

§. XVI.

Nolo hic febrem, spasmus illum universalem silentio praeterire, quem qui tuto auferre cupit, eius causam cognoscat necesse est. Haec vero potest esse diversissima. Si igitur acrimonia cor irritat, illam corriget; si ob resistantiam a sanguine viscido vel stagnante indeque factam maiorem in cor actionem orta fuit: hanc resistantiam pro re nata auferet, atque sic sublata causa verum esse deprehendet, cessare effectum. Studebit vero simul fibrarum relaxationi per inunctionem cum oleis insigni contra spasmos remedio,

dio, ab antiquioribus medicis commendato, quod nescio cur negligent recentiores.

§. XVII.

Quos a sensatione proficisci posse spasmos ac convulsiones compertum est; ab imaginatione quoque seu sensatione interna oriri nonnunquam, adeo certum est, ut in dæbium vocari a nemine possit. Quae sub gravi terrore vel ira luditur tragoedia, non est nisi spasmodum ac convulsionum syndrome. Quis quaeso adeo ignarus est ut nesciat, dirissimas ex solis animi pathematibus solito vehementioribus oriri posse convulsiones? Accedit quod eiusmodi motus in habitum abire et alio tempore a levissima causa resuscitari possunt. Frustra in talibus corrigentia et evacuantia adhibebis ubi nulla adest materia, quae sui correctionem postulat vel evacuationem. Praestat potius excitatos nervos sopire, et motos compescere fluctus. Possidemus enim talia remedia, quibus non solum dolores lenire, sed efferam etiam compescere possumus imaginationem, atque hac ratione sopire motus ab eius vehementia pendentes. Quis ignorat virtutem opii aliorumque anodynorum, quibus nimia sensibilitas, et ad motus vehementiores proclivitas expugnatur, et somnus invitatur, quo quasi oblitterantur, iusto vividiores ideae belli huius intestini auctores? Sed largiorem dosin postulare nonnunquam ferox malum certum est. Sicuti in illis casibus, ubi causa nervos irritans adest, anodyna nihil agunt, nisi ut convul-

vulsiones ad breve tempus sistant, quae deinde redeunt eo maiori cum vehementia.

§. XVIII.

Paralyfi laborans musculus nobis vel maxime volentibus non contrahitur. Facile itaque patet paralyseos causam in aliquo quaerendam esse, quod impedit fluidi nervei in musculum influxum et sui remotionem postulat, quod iterum a variis causis pendere potest, quas ordine enumerare instituti nostri ratio nunc non permittit. Propositum enim nobis tantummodo erat, notiones elateris, toni, contractionis vitalis, voluntariae, sensibilitatis et irritabilitatis distinctius explicare. Quare haec sufficient.



SVMME REVERENDO, MAGNO ET EXCELLENTI

T H E O L O G O

ERDMANNO NEVMEISTERO

PATRI IN CHRISTO VENERANDO

S. P. D.

IOHAN. BENEDICTVS CARPZOVIVS, D.

Redit ad TE Nepos TVVS, pulchre instructus salutaribus literis aliisque, et ornatus elogio Doctōris, quo Illum dignum pronuntiauit illustris Medicus Ordo, Academiae huius, quam tres per annos diligentia recta, assiduitate, et probis dextre moribus nobilitauit. Redit autem in TVOS venerandos amplexus, ex communi quam et ego incolo domum, ita, vt plane potuissē, qui TVVS etiam iussus atque voluntas fuerat, Iuuenis mihi traditi atque commendati mores et vitam obseruare, nisi BRANDTIVS ille TVVS, custodia et ἐφορία mea superior, sibimet ipse custos et disciplinae vitae animaduersor, isto speculatu quasi meo parum indignisset. Laetare igitur, Senex et Pater Venerabilis, de tam probō ac docto filio TVO, diuinamque porro benignitatem, (quod facis,) venerare, quae tot

TE

TE beneficiis cumulauit, ut tam numerosa in subole
TVA, nepotes et abnepotes conspicias, honore ac digni-
tate splendentes. Gaude, Vir eminentis et veneratio
mea, de hoc BRANDTIO TVO, qui istam senectutem
TVAM, Deo et hominibus carissimam, arte quam di-
dicit, stabiliet; neposque Aui sui (audiat Deus votum!)
pretiosam et aestumatam vitam conseruabit. Gaude,
quod disciplina subactus est magni LAVRENTII HEI-
STERI, medici terrarum orbis; nec non, quod acutis-
simis praeceptis Illustris FABRICII et Excellentissimi
KRÜGERI imbutus, perficiet Numine annitente, ut
hominum affectorum turbae vitam et valetudinem
commodam instauraturus sit.

Hoc probitatis, hoc laudum, et gaudii testimonio
mactum, dimittere TVVM Nepotem ex his aedibus et
Academia nostra volui, et denique ex animo precari,
ut ulterius Viri Experientissimi coeptis et negotiis o-
mnibus, prosperos dare Deus successus velit.

Praeter haec, agnosco meam felicitatem, qua mi-
hi olim contigerit, TE, tantum Virum, tam eximie
meritum de Ecclesia Christi, coram et de ore cognouisse,
atque animi TVI diuinas dotes pie ac debite admirari.
Agnosco beneficium Dei, qui tam orthodoxum, tam
consummatum Theologum, in hac penuria recte do-
centium quae hodie imminet, conseruauit, et contra
hostium ac veritati aduersantium malignitatem immo-
tum ferreumque, velut Didymum χαλκέντερον, susten-
tauit. Quod si labores tot, abs TE superatos, si mo-
numenta tot ingenii, tot actos de aduersariis trium-
phos, si alia TIBI propria atque peculiaria perpenda-
mus; praecipue si masculam illam Theologiam TVAM
cogitemus, quae a sacris libris et norma doctrinae sa-

lutaris latum unguem se dimoueri, philosophiae obtentu non magis, quam ullo periculi metu, patitur: habemus sane nos omnes qui ecclesiae puriori bene cupimus, quod de Viro, tam meritis, doctrina, vita, factis venerabili, laetemur, et Eum tanquam aliquod Palladium obseruemus, et de Eo diutissime retinendo Summum Numen comprecemur. Tandem etiam et hoc adiciam. Si suauem illam poësin TVAM, qua excellueras iuuenis, et senecta hodie aetate fessum curis atque cogitationibus animum relaxare soles, meditemur; nihil tersius eadem, nihil venustius deprehendemus, immo perspiciemus, eam per plurimum conferre ad mentes vera pietate alendas, atque maximo opere erigendas. Igitur hoc agamus omnes, diuinamque imploremus misericordiam, quae certissimo gratiae suae documento, hunc magnum Theologum, senem in domo, bonum signum (quod Hebraei volunt,) per multos amplius annos ponat, ut integris ingenii viribus, ac mente qua semper es vegeta, pietate, doctrina, prudentia, consiliis, auctoritate valens, TVIS, ac publicae rei, et Ecclesiae, praecipuo porro emolumento, fulcro, et ornamento, sis. Assistat TIBI identidem Deus, adiutor fortis, Sol et Propugnaculum TVVM, ac redundare in TE iubeat, ex flore etiam Familiae TVAE splendidissimae, noua subinde et alia (ut hodie in TVO BRANDTIO,) felicitatis incrementa: donec satur dierum, gloriae, laudum, rerum denique aliarum, caelestem in ciuitatem, his defensoribus nominis diuini et amplificatoribus promissam, fidelissimus Dei seruus, felicissime introgrediare. Dab. in Acad. Helmstad. pridie Kalendas Iunias, An. MDCCLIII.

NOBILISSIMO ORNATISSIMOQVE

HONORVM DOCTORALIVM CANDIDATO

S. P. D.

P R A E S E S.

*M*agnam, quam semper capere soleo, delectationem ex praeclaris CANDIDATORVM studiis, illam et nunc laetus percipio, atque insigni perfundor voluptate, cum TE amicissime BRANDT cathedram ascendentem conspicio, vires periclitaturum. Non vero mei tantum, sed inprimis Summe Venerandi AVICENAE causa gaudeo, de studiorum academicorum cursu feliciter confecto, et laudabili industria, qua meas non solum sed celeberrimorum quoque Collegarum Illustris HEISTERI et FABRICII frequentasti acroases. Quo rarius enim viris de re sacra meritissimis et ultra mediocritatem evectis ea obtingit felicitas, ut nepotes habeant avitae virtutis aemulos, eo magis laetor, quod
hanc

hanc felicitatem venerabili seni, AVO TVO, Viro de ecclesia
Christi immortaliter merito, cui meo nomine salutem
plurimam dicas, nunc vere gratulari possim. Gratulor
et mihi, qui in TE formando aliquam operam posui,
gratulor patriae medicum literis bene armatum, et
quod spero, opto atque praevideo in praxeos exercitio
felicem, gratulor denique et TIBI lauream, laborum
praemium, et ut omnia ex voto TIBI succedant, ex in-
timis cordum penetralibus apprecor. Ita Deo com-
mendatus vale rectissime et de me existima me para-
tum fore ad quodvis officium, quod proficisci poterit
ab homine TVI amantissimo.

Dab. Helmstad. d. XIII. Iun.

MDCCLIV.

